

Subter radices penitus undante in freto
Molem ex profundo saxeam ad coelum eruit?

Dubitat primo, quae sit ea natura, quam cernit ignotam:
idemque, juvenibus visis, auditoque nautico cantu,

Sic incitati et alacres rostris perfremunt
Delphini; — —

item alia multa.

— Silvani melo

Consimilem ad aures cantum et auditum referet.

Ergo ut hic primo adspectu inanimum quiddam sensu-
que vacuum se putat cernere; post autem signis certioribus,
quale sit id, de quo dubitaverat, incipit suspicari: sic philo-
sophi debuerunt, si forte eos primus adspectus mundi con-
turbaverat, postea quum vidissent motus ejus finitos et
aequabiles, omniaque ratis ordinibus moderata immutabilique
constantia, intelligere inesse aliquem non solum habitatorem
in hac coelesti ac divina domo, sed etiam rectorem et mode-
ratorem, et tanquam architectum tanti operis tantique numeris.
Nunc autem mihi videntur ne suspicari quidem, quanta sit
admirabilitas coelestium rerum atque terrestrium.

Cap. XXXVI. Principio enim terra, sita in media parte
mundi, circumfusa undique est hac animali spirabilique natura,
cui nomen est aër, Graecum illud quidem, sed receptum
jam tamen usu a nostris; tritum est enim pro Latino. Hunc
rursus amplectitur immensus aether, qui constat ex altissimis
ignibus. Mutuemur hoc quoque verbum, dicaturque tam
aether Latine, quam dicitur *aër*: etsi interpretatur Pacuvius
hoc, quod

Memorant nostri coelum, Graji perhibent aethera.

Quasi vero non Grajus hoc dicat. At Latine loquitur.
Siquidem nos non quasi Graece loquentem audiamus. Docet
idem alio loco:

Grajugena de isto aperit ipsa oratio.